

regis ac Christi Dei, quæ propriè Christo filio Dei competunt. Deinde in magnificentia Dei erga regem & Christum suum. Ea siquidem quæ Dauidi cõgigit, umbratilis quædam fuit, respectu eius quæ in Christo est declarata: in quo verè magnificè egit Deus, non modò ipsum è manibus inimicorum, & ipsa morte, sed & totum genus humanum ex potestate inferorum liberando, & in regnum suum tam gentes quàm Iudæos vocando & assumendo.

Tertiò, in æternitate quoque bonitate erga semen Christi. De hoc semine Christi, quod sunt fideles, vide Esa. 53: Videbit, inquit, semè longævum. Et Ioan. 12: Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum adfert. Et Ebr. 2: Ecce ego & pueri mei, &c.

PSALMVS XIX.

ARGVMENTVM AC DISPOSITIO

huius Psalmi.

Ardenti Zelo in ea rapitur spiritus Prophetæ de prædicanda & celebranda, quæ gloriã diuinã maiestatis cum primis commendant & extollunt, adeoq; nos in cognitionẽ illius inducunt, Horum autẽ duo genera recenset. Vnum eorum, quæ gloriã Dei oculis spectandam mortalibus vniuersis exponunt: de quibus canit versibus sex prioribus. Alterũ de eo, quod Iudæis singulariter præ reliquis nationibus diuinitus est concessum: cuius meminit versibus 7. 8. 9. 10. & 11. Tertia Psalmi parte peccatorum suorum confessionem, ac remissionis illorum petitionem adiicit, & diuinam erga se benevolentiam ambit.

VERSVS SEX PRIORES.

Ad præcinendum Psalmus Dauidis.

VRS. I.



OELI enarrant gloriã Dei, & opus manuum eius annunciat expansum.
2. Dies ad diem eructat verbum, & nox ad noctem indicat scientiam.
3. Non est sermo, & non sunt verba: nec auditur vox eorum.
4. In omnem terram egreditur sonus eorum, & in fines Orbis verba eorum: soli posuit tabernaculum in eis.

5. Et ipse tanquam sponsus procedens è thalamo suo, exultat vt gigas ad currendum viam.

6. Ab extremo cæli egressus eius, & recursus eius vsque ad extremum illius: nec est qui se abscondat à calore eius.

LECTIO.

Vers. 1.

Expansum.] Ebr. ארץ ארץ quam dictionem communiter & Græc. & vulg. Lat. sicut & Hieron. reddunt firmamentum. Significat autem extensionem: ad quem modum verterunt Iustin. Munsterus, & Tigurina versio. Felinus sic: Et ather, quæ sint opera eius denunciat. Campensis vertit, vastum calorum ambitum.

Vers. 2.

Dies ad diem, &c. & nox ad noctem. Ebr. ארץ ארץ ארץ ארץ. Græc. ἡμέρα ἡ ἡμέρα, καὶ νύξ ἡ νύξ. Vulg. Latina: Dies diei, & nox nocti. Sic ferè omnes Interpretes legunt: nisi quòd aliqui addunt de suo: Dies diei succedens.

Vers. 3.

Non est sermo, &c.] Ebr. אין אמרו אין דבריהם. Græc. & vulg. Lat. sic reddiderunt: Non sunt loquela, neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum. Hieron. sic: Non est sermo, & non sunt verba, quibus non audiat vox eorum. Iustin. Non sunt loquela, & non sunt verba, non auditur vox eorum. Felix. Prat. Non sunt loquela, neq; sermones, vt non audiat vox eorum. Pag. Non est sermo, & non sunt verba, non auditur vox eorum. Sic & Tigurina, & Felinus. Zuinglius sic: Non est sermo aut lingua, vbi non audiat horum omnium vox. Campensis similiter: Nullum est, inquit, idioma, nec vlli sermones, quibus audita non sit vox illorum: nullus est enim vsquam populus tam barbarus, ad quem horum notitia non peruenerit.

Vers. 4.

In omnem terrã egreditur sonus eorum.] Ebr. יצא קולם. Græc. & vulg. Lat. & Hieron. reddiderunt: Exiuit sonus eorum: quam lectionem retinuit & Apostolus ad Rom. 10. Verùm Ebræa dictio יצא regulam, lineam directoriã, & funiculum significat. Vnde Iustin. sic vertit: In omnem terram exiuit filium eorum. Prætertenis: Exiuit cursus eorum. Pagn. linea eorum. Felin. iudicium eorum. Munsterus: directio eorum. Tigurina: regula eorum. Verùm visum est retinere lectionẽ vulgatam, propter autoritatem Apostoli. Zuinglius & Campensis, orationem & doctrinã reddiderunt.

Soli posuit tabernaculum in eis.] Ebr. לשמש שם אהל בם, quod & Hieron. & Iustin. & Pagnl. cum recentioribus reddunt: Soli posuit tabernaculum, vel tentorium in eis. Græc. & vulg. Latin. sicut & Arabs, verterunt: In sole posuit tabernaculum suum. Reliqua non admodum variant.

EXPLA-

NATIO.

Vers. 1.

Cæli errant gloriã Dei.] More carminis idem hoc versu bis dicitur. Nihil est enim expansum illud aliud, quàm cælum hoc visibile: nec aliud enarrare, quàm annunciare. Itaq; primo hoc versu gloriã Dei per cælos enarrari & annunciari: hoc est ostentari, & omnium oculis ingeri dicit. Solet Scriptura gloriã Dei in cælorum machina spectandam proponere.

Primum dum dicit Deum cælos creasse & extendisse, opus adeò illustre, magnificentum & immensum, vt Psal. 8. 96. 136. Huius admonet etiam hoc versu, dum expansum opus manuum Dei annunciare & ostendere dicit. Cogitemus hinc, quàm sit opus hoc cæli vastum, amplum, latissimè extensum, aspectu iucundũ, ornatu speciosum, tempore diurnum, ac robore firmum. Licet nobis hæc omnia ad gloriã Dei expendere, etiamsi occultiora cælorum miracula ignoremus. Deinde dum dicit: Deum cælos condidisse solum. Hoc prædicat Iob cap. 9, & inter ea connumerat, quæ ad magnificentiam Dei faciunt.

Tertiò,